



17317

I Moa. St. Dr. P

Praceptor em pie defunctum.

an et Nicol. Pictas in

PANIS ET VITAE

Polen. 4^o

M. 1001.

Biblioteka Jagiellońska



stdr0002471

PIETAS

in Præceptorem piè defunctum.

*Magnificum olim & Admodum Rñdum
Dominum,*

D. IACOBVM VITELLIVM,
S. Th. Doctorem, & Professorem, Ec-
clesiæ Cathedralis Cracouiensis
Canonicum,

RECTOREM VNIVERSITATIS
Cracouicn. Vigilantissimum,

& 173177
PROCANCELLARIVM
Dignissimum,

Lachrymis propè effusa sepulturæ die,

A

M. IOANNE NICOLAO GASIEWSKI,
Collegij Minoris Professore,

Anno Domini, 1648. die vltimà April.

CRAC. In Officina Francisci Casarij S. R. M. Typographi.



BIBLIOTHECA
UNIVERSITATIS
JAGELLONIENSIS

Ad Adm. Rndum. Dominum

D A D A M V M D R A S K I, S. Th. Licentiatum,
& Professorem, S. Flor. Decanum, Collegij Vladislauiani
& Concubernij Jagelloniani Provisorem, &c.

Et ad Adm. Rndum Dominum,

D. L O A C H I M V M S P E R O N I V M, S. Th.
Professorem, Poenitentiarium & Ordinarium in Eccl:
Cathedr. Crac. Concionatorem, S. Floriani
Canonicum.

Ad utrumque tanquam piè Defuncti

E X E C U T O R E M.

MAESTUS erat credo mundus, fuit ater Olympus.
Iussus eram primam quando videre diem,
Atra dies natalis erat, nigredine picta,
Nam volucri citius semper ad atra feror.
Vix atrà cerno R E C T O R E M morte peremptum
Carmina mox Genius fertur ad atra meus,
Mæstus, vix Genius lugubri carmina venâ
Fundit, prospectat cui daret illa viro,
Et quia Tu D R A S K I de fido es mæstus Achate
Quem Tu cœu Patrem S P E R O N O V I Q; doles,
Mæstus uterq; gemis cœu fratrem frater uterq;
Mæsti ergo carmen, mæstus uterq; cape,
Quod vos si saltem grato tangetis ocello
Rebus in his atris sat puto lucis erit.

vt tamen adueniant vobis letissima quæd,
Post hoc iam lethum, cernite lata diu,
Parca dein' M A G N I S si non vult parcere Parca
Malo sit in minimum me, mala Parca prius,

Ioannes Nicolaus Gašiewski
Coll: Min.

O D E.

DVm parentales ferimus querelas
In Tuos tristes obitus VITELL I,
Vos, cohors tristis, Dryades supremas
Ferte querelas.

Cum pijs dantur pia thura flammis
In Tuos R E C T O R cineres cremanda,
Vos, cohors tristis, Dryades sacrata
Thura cremate.

Cùm volant tristes super astra voces
Cùm Deum placans cadit ynda fronte,
Fonte vos mecum Dryades natantem
Mergite frontem.

Imus oblatas modō quando ad aras,
Dona coniunctis precibus ferentes,
Dona vos mecum Dryades sequaci
Cum prece fertē.

Cùm preces, cùm vota feruntur astris,
Cùm piæ tolluntur ad astra palmæ,
Vos piæ cælo Dryades supinas
Tollite palmas,

Cùm velut dextrum iubar, & sinistrum,
Cùmque deiectam gemimus Columnam,
Morte deiectam Dryadum cohortes
Flete Columnam.

Cùmque virtutem citò ab orbe raptam
Serò cum Patrem Iuuenelque quærunt;

Vos simul mecum Dryades latenterem
Quærite Patrem.
Ergo secūra modo te&tus aura,
Viue mansuram rebibens quietem;
Hoc Tibi R E C T O R precor, æuaternam
Viue quietem.

NÆNIA PRIMA.

Musa.

Quem modò Te dicam Musarū Phæbe VITELLI?
Occidis heu tetrà qui modò mortis aquà.
Quem modò Te dicam, fuluo pretiosior Auro
Extinxit rutilum euî modò Parca iubar.
Ah lux parua aderas, Summo licet auctus honore es,
En præmaturo mortis ab ense cadis.
Quo properum vultu casum, quâ mente tulistis?
Vosq; mihi iuuenes dicite, vosq; Viri?
Quas Tu dum voces, patrio iam clausus Olympo
Excipis, hos reddis Doctor vt ante sonos.

Manes.

Quem modò me dicas Academi M V S A Lycæi,
Hæsitat ad laudes mens tua cerno, meas.
Scito, dum vixi, quauis moriebar in horâ
Nunc omni viuo tempore, morte carens.

Musa.

Musa.

AVdio gemma Virūm grāvium, pars optima Patrum,
 Audio quod supero viuis Apollo Polo.
Et quia gemma Virūm vixisti, iam satis orbi
 Annulus ut pulcher, viue sub orbe Poli.

Manes.

VIuo Polo sublimis Apollō Polonus Olympi
 Iam pro Parnasso Sidera celsa gerens.

Musa.

Hic mihi marmoreum statuas quis quæso Colossum
 Hafq; in eo ponas ex adamante notas,
Hic iacet, in placitis animum seruare Catonis
 Qui scijt & Magni iussa probare Dei
Hic iacet, in terris cineres & ossa relinquens
 Attamen in cælis uiuus & omnis adest.
Heu modō, tantus vbi es? cum Te super ætherē credo
 Nonne loquar toties, heu modō Tantus vbi es?
Non vnuſ moreris, sunt tecum mortua multa,
 Mortua dos misero eſt, heu modo Tantus vbi es?

NÆNIA SECVND A.

Musa.

QVem modō Te dicam Parnassi Præses Apollo?
 Ex oculis raptum quem dolet ALMA Parenſ.

Paruis te vidit spatijs pia Patria, paruo
Dilexit, curas publica resque tuas.
Contigit hoc nobis bene, contigit an male vobis?
Dicte vos Iuuenes, dicte vosque Viri?
Has ego dum tacito voluo sub corde querelas
Mox resonos pulcher reddis Apollo sonos.

Manes.

QVem modò ne dicas Academi Musa Lycæi
Debilis ad tantas est tua lingua vices,
Dum vixi, fueram Regum non sanguine natus,
In cælos veniens, Rex modo viuo Polo.
Gratulor hanc sortem, donum mihi gratulor istud,
Quod Christum spectans Rex mihi viuo Polo.
Viuo Polo, seruans olim mandata Tonantis
Pro vobis placans Numinæ, viuo Polo.
Cùmque Polo viuo, viuo cum Nomine Terris,
Ex uno fecit me Deus esse Duos.

Musa.

Hic mihi marmoreum statuas quis quæso Colossum,
Hasque in eo ponas ex adamante notas;
Hic iacet, Elysia Rex qui modò regnat in arce
Flos simul, arrofit quem modò Crudus Aper,
Qui nituit veluti candardia lilia nobis,
Nunc suaves tantum liquit odoris opes.

Heu

Hēu modò Tantus vbi es? cùm Te post fata dolemus
Dicemus quoties, hēu modo Tantus vbi es?
Et quia cum titulo Regis sub sidere viuis,
Non inimica puto, Mors at amica Tibi est.

NÆNIA TERTIA.

Musa.

QVem modò Te dicam nostri bona Lampas Olympi?
Quam citò de mundo sustulit atra manus.
Quem precor ah dicam Te nostri Stella Lycæ?
Nescio, mensq; simul claudit in ore sonos,
Si dicam plenum terrenâ laude, Quid inde?
Hac florere etenim laude Quid inde? Nihil.
Si dicam gratum Magnatibus esse, Quid inde?
Gratum nam Magnis esse quid inde? Nihil:
Si Te Fôrtunâ dicam nituisse, Quid inde?.
Hac lucere etenim sorte quid inde? Nihil.
Quem precor ah dicam R E C T O R Te clare VITELLI?
Ad laudes magnas scit mea lingua Nihil.
Ad quod Sidereā Tu cœzō fixus in aulâ
Talia submissis das mihi verba sonis.

Manes.

QVem modò me dicas Academi Musa Lycæ
Nescis, nec tecum scit tuus iste dolor.

Doctor

Doctor eram, celso progressu iam modò facto,
Discipulus Christi sum modò Doctor ego.

Musa.

AVdio dicta Pater, Magni Studiose Tonantis
 Audio pro gressu quo super astra venis
Quàm benè progressum fecisti pulcher Apollo,
 Ex hoc Parnasso cum super astra volas.

Manes.

PLura cupis, viuo Cygnus cêu gratus Olympo
 Viuo polo, Sidus cuî modo nidus adest
Viuo R E C T O R ego magno cum nomine magnus,
 Ante Deum magnum lumen & omen habens,
Nec mihi in occasu surreptum credite quidquam,
 Inuida quam vitam mors rapit, Astra dabunt

Musa.

HIc mihi marmoreum statuas quis quæso Colossum,
 Hasque in eo figas ex adamante notas,
Hic iacet occiduo submersus Cygnus in amni,
 Cui iacet in paruo magna ruina loco,
Heu mihi tantus vbi es? quæ Te nitidissime Cygne
 Nescia in ignotas fata tulere plagas?
Non vnuſ moreris, moriuntur plurima in vno
 Mortua ſpes nobis, mortua luxque Scholis.

NÆNIA

NÆNIA QVARTA.

Musa.

QVem modò Te dicam Mecænas Magne Clientum
Nescio, mensque vagos truncat in ore sonos,
Cùm notum dicam Te Terris esse, Quid inde?
Cùm natum Superis esse quid inde? Satis,
Cùm memorem dicam te Terris esse, quid inde?
Cum socium Sanctis esse quid inde? Satis,
Quem modò Te dicam, duris in rebus Asylum?
Ah nondum dixit lubrica lingua satis,
Ad quod perspicuà Tu certo fixus in æde
Respondens placidis das pia verba labris.

Manes.

QVem modò me dicas Academi Musa Lycæi
Iam scio, sed quis Tu sis quoque, disce precor,
Efficiorsimilis posito iam corpore Diuis,
Hinc fruor Ambrosiâ, sidereoque cibo.

Musa.

HIc mihi marmoreum statuas quis quæso Colossum
Hasque in eo ponas ex adamante notas.
Hic iacet, innumeris fuerat qui commodus vñus,
Omnibus omnis erat, sed sibi nullus erat.
Heu modo tantus vbi est nostris citò raptus ab oris,
Omnibus omnis abest, heu mihi Tantus vbi est.

NÆNIA QVINTA.

Musa.

QVem modò Te dicam iam subdita Luna tenebris?
Nescio, & ad laudes mens stupet ipsa Tuas.
Mens stupet, Aonium tetigit vix namque fluentum,
Castalijsque parum vena natauit aquis.
Non illis etiam multùm de fontibus hausi,
Pegasei quorum pes fuit Author equi.
Muta tamen nequeo retinere silentia labris,
Nec possum gratos ore tenere sonos.
Ergo placet toties repetitis quærere labris,
Et lachrymaturos ingeminare sonos.
Quem modò Te dicam nostrarum gloria rerum.
Mens mea si quid habes? dicio quicquid habes.
Quis fouit Musas Parnassia dona? IACOBVS,
Namque VITELLIANVM fouit Apollo caput.
Quis Princeps Oratorum fuit ante? IACOBVS,
Namque VITELLIANOTullius ore fuit.
Quis fuit & Virtutis & Artis imago? IACOBVS,
Namque VITELLIANA mens bona mente fuit.
Ad quod sidere à stans Tu super ætheris aula,
Respondens, blandos fundis ab ore sonos.

Manes.

QVemnam me dicas Academi Musa Lycæi
Si nescis, dicant muta Lycæa tibi.

Quod

Quod citò sum raptus, fecit fallacia vitæ,
Quod viuam, faciet virtus amica mihi.
Vitam namque breuem produci posse, quid obstat?
Viuit enim ille diu cuī benē vita cadit.

Musa Valedicens.

VT-Te cunq; Solo rapuerunt fata VITELLI
Hoc scio quod nobis te rapuere citò
Pro bonitate Tuā quā toti notus es orbi
Vixisses vtinam pro bonitate tuā,
Pro pietate tuā quā Diuis ante placebas
Vixisses vtinam pro pietate tuā
Proq; labore tuo quo Musas ante souebas
Vixisses vtinam proq; labore tuo
Sed quid egodico Vixisses, cum tua Mors hæc
Post quam nunc viuis mors tibi vita Poli est,
Gratulor hunc ergo casum, mortemq; secundam
Quæ dedit, in patrio Te requieße Polo
Viue Polo. socijs sociate sub æthere Sanctis
Nulla timens mortis spicula, Viue Polo,
Viue Polo calcans spatioſo Sidera passu,
Te replens cæli nectare, Viue Polo,
Viue Polo Vates, Orator fertilis olim
Ore Tuo celebrans, Numinia Viue Polo,
Viue Deo, viuasq; Deo ut per secula tota
Nos dicamus AMEN Ter repetamus AMEN.

EPL

EPIGRAMMA.

ERgo iaces RECTOR? quondam fortissimus HECTOR?
Sic est, Te curæ sic posuere graues,
Ecce Tibi Curæ? faciunt quid cernite Curæ?
Magnis Encuris RECTOR & HECTOR obit?
Duris defessus curis Academicus Atlas
Concidit ab Cracios non gerit ecce Polos?
Iam cessat magnis humeros supponere rebus
Res grandes, olim cum tulit altus Atlas
Nec Tua sceptræ gerit, grauium REGINA Virorum
Promotor quorum maximus ante fuit.
Nil facit ergo Atlas? cur nil facit ille, stupescis?
Post Curas dignum est nonne quiete frui?

Aliud.

Quem Tibi cum Musis RECTOR prestamus honorem.
Quem Tibi defuncto prestat amica, cohors,
Nescio monstratum si caelo cernis honorem
Nescio si meritus Te modo tangit Honos
Dicite vos Stellæ, nostrum si cernit honorem?
Vel tu dic saltem noctis Ocelle mihi?
Cernere de Cælis at cur non debet honorem?
Cum queuis illi Stella, Fenestra manet.





